maledicere et exprobare et facta fuit inter duos tanta commotio, quod de asinis prosilierunt et evaginatis gladiis crebris ictibus se mucrone petere decertaverunt. Quia tamen ambo milites arte dimicandi instructi erant, quilibet suo ense ictum alterius repulit. Ad haec alii peregrini videntes accurrentes nitebantur eos ab invicem separare, nemo tamen ausus fuit propius accedere, quia quilibet timebat cuti suae, cum ambo nimis furerent et gladiis improvise dimicarent. Accurrerunt etiam Arabes, qui erant nobiscum, et licet nudi essent, audacter tamen se ingesserunt subintrantes in medium gladiorum; et hoc facto duellum fuit dissolutum, nec amplius se gladiis impetere poterant sine laesione Arabis innocentis. Si ita divisi non fuissent, vel ambo vel unus peremti fuissent. Arabes enim sine metu se ingerunt maximis periculis mortis, non propter fortitudinis virtutem, sed propter perfidiae errores; credunt enim, cuilibet homini a Deo constitutam esse mortis horam et genus et quod illa nec promoveri nec praeteriri possit, etiamsi se sponte occidant, vel voluntario praeciptio aut suspendio se perimant. Putant se mori aut occidi non posse, si non adsit hora constituta, imo sine armis protectivis ad bella nudi procedunt. Post divisionem induximus eos cum difficultate, tum ut jurarent nobis servare pacem, et juraverunt, se servaturos pacem usque in Cairum duntaxat, quia ibi esset rex Soldanus et judices, et coram illis vellent adstare et judicii decretum subire. In hoc certamine imminebat nobis omnibus grande periculum, quia si unus alium vulnerasset, sui socii in ejus adjutorium consurrexissent contra alium quem et sui socii conati fuissent defendere, quia in tres societates eramus partiti, ut habetur P. 1. Fol. 122. B. Praeter hoc fuissemus captivati et regi Soldano praesentati, tamquam violatores salvi conductus ejus. Ideo Calinus dimicantibus astitit et nomine regis Soldani pacem imperavit, sed non curaverunt, quod totum ad lucem venisset. Igitur sedato tumultu processimus per longam viam monti sancto terga vertentes, quia dicebant nobis Calinus et Arabes, quod per nullam vallem ad radices montis Synai possemus intrare, nisi per unam, ad quam oporteret nos descendere, per quam etiam patres nostri, filii Israel, ad montem sanctum venerunt.

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;